



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis

Musart, Charles

Monachii, 1654

XI. Quomodo cauendum inter communicandum, ne particulæ excidant,

urn:nbn:de:hbz:466:1-41616

NUM: XI.

Ad quid communicans attendere debeat.

SÆpe in administratione huius Sacramenti errores graues accidunt, si minister ad rem non sit valdè attentus; nihil enim facilius, quàm vt particulæ sacræ defiliant, aut excutiantur, præsertim cùm simul multis administrandum, iisq; rudibus, & inattentis: quò tibi incumbendum magis, ne aut præcipitanter, aut temerè negotium tam serium tractes. Aduertendum igitur, ne dum sacram Hostiam porrigis, ad labia, aut dentes allidas, aut ne digitos saliuâ inficias; si madefeceris, purificatorio deterge; priùs tamen vide, ne quid sacræ Hostiæ tibi adhærescat, quod tibi excidat: eandem cautelam adhibe, cùm finitâ communicatione digitos in vasculo abluis: si autem adhærescentem digitis particulam aduerteris, vel sume, si es ieiunus, vel repone in Ciborium, si

H 5

non

non es ieiunus; Multum facit, ne particulæ excidant, si (quod superius monui) cures hostias minores, priusquam consecrentur, esse mundas, atque à minutis coherescentibus diligenter perpurgatas, vti Ciborium; quod propterea expurgare subinde debes, cum fragmenta in eo deprehendes, aut eiusmodi minutiores particulas. Expurgandi autem hic modus esse potest: Hostias integras sepones interim post summptionem calicis; vinum accipies in Ciborium, vel Pyxidem, in quâ eæ sunt particularum minutia; eam ablutionem primam, & deinde secundam effundes in calicem pro ablutione illius, & sumes; & tunc si quas integras seposuisti, repones in Pyxidem, siue Ciborium. Porro si qui defectus acciderint inter communicandum, Missale Romanum consule, & errores emenda.

De Hostiâ tui Sacrificii maiore, ne partem communicaturo diuidas, mos

Eccle-

Ecclesiæ non patitur, nisi grauis aliqua causa excusaret: neque pro tuo Sacrificio particulam consecres, æquè mos repugnat, & populus offenderetur, si in Missa particulam eleuares adorandam.

N V M: XII.

Quibus danda, aut neganda Communio.

A Mentis à natiuitate, & pueros alios, necdum sufficienter instructos, arce ab hac mensâ: nam mos, particulas sacrarum Hostiarum remanentes distribuendi pueris, iam exoleuit; curandum tamen, vt pueri, si de vitâ periclitentur, instruuntur, & præcepto diuino satisfaciunt. Omni- no fatui, etsi aliquando ratione vsi sunt, repelluntur, nisi in interuallo lucido deprehendantur, & modò credantur ad sumendam Eucharistiam dignè dispositi; neque periculum subsit irreuerentiæ. Semifatuos admittes, si petant, & vtcunq; instructi de mysterio huius